



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Quotidiana Christiani Militis Tessera

Stanyhurst, Guillaume

Coloniæ Agrippinæ, 1710

11. Dies Novemb. Doctrina in dictis, Scientia est, in factis virtus.

urn:nbn:de:hbz:466:1-45477

II. DIES NOVEMB.

Doctrina in dictis, Scientia est, in factis virtus, Chrysostomus serm. 167.

Operare qui-
runtur non
verba.

I. **M**agnum est intervallum inter hæc duo, dicere & facere, inter verba & facta,

linguam, & vitam, sermones & actiones; parum proderit dicere Domine, Domine, nisi servias Domino; nisi facias voluntatem Domini; fac, non dic. Quid juvat dicere facienda, & non facere? Scientia Sanctorum est virtus, non doctrina, progreditur ad manus, non hæret in intellectu, nec solo affectu; est scientia manualis non intellectualis. Verus Dei cultor, & mundi odor, non tantum loquitur quæ sunt optima, sed etiam facit, quæ sunt honestissima, & quæ sunt aliis temporis feræ, illi sunt temporis nundinæ, illius oratio, est tonitruum, quia vita est fulgur: ut loquitur D. Hieronymus. Nam vitæ probæ splendor, verbis adjicit pondus, ut emittere videatur tonitrua, dum verba talis erat, qualem omnes esse optarem; D. Martinus: faciebat multa, dicebat pauca, pauperi eleemosynam flagitanti, non dedit verba, Deus te adjuvet, sed nihil dicens, manum admovit gladio, & illum induit pallii dimidio. Non tantum sciebat misero stipem dandam, sed dedit. Adhuc catechumenus tam erat magnificus. Non alios dandi instruebat præcepto, præbat exemplo. In ultimis mundi consummati comitiis: in illo celebri cœli terræque confessu torus mundus erit spectator illius pallii, dum Martinus vel ideo induetur stola gloriæ.

II. Est,

II. Est, teste Gregorio Nazianzeno, proverbium
ut verissimum, ita etiam brevissimum. (a) *Iunc can-*
tabunt cygni, cum graculi tacuerint, tunc eruditi lo-
quentur, tum ineruditi tacebunt. Multos reperire est
garrulos, & obstreperos graculos, verbosos blatero-
ses, quorum omnis scientia est in buccis: quibus ac-
commodari potest, alterum illud proverbium; *Clam-*
mat arundo, plus quam cygni decem, sunt exterius gar-
ruli ut hirundines, intus inanes ut arundines: multis
multa suadent, quorum ipsi nihil sibi persuadent. (b)
Indutus purpura, frustra cum Joanne pilos pradiat camelot-
rum. Verba sunt Petri Damiani. Ita qui modestus est,
non tantum lingua, sed totius corporis moribus &
motibus, eloquentissimè modestiam commendat:
nam is, ut idem loquitur, *ad modestiæ præconium, de toto*
corpore linguam facit, & cum os taceat, muta membra
melius, quia & simplicius clamant. Oportet semper esse
in actu, ut imitemur Deum, qui est purus actus. Et
sicut oportet Imperatorem stantem mori, sic Chri-
stianum Heroem decet mori operantem. Quod vo-
luit exequi S. Duostanus, qui invitatus ad cælum ut
pertraheretur gloriâ cœlesti, inducias à Deo petiit, &
impetravit, donec populum verbo Divino refecis-
set: quo in opere gloriosum esse putavit, vitam &
spiritum effundere, ac concionantem mori. Validior
oculorum est vox, quam linguæ, sic & vox operis
efficacior quam oris. Loquitur oculis peccator, dum
pœnitenda se commisisse plorat, quot lachrymæ
tot linguæ, hinc illud (c) *Auribus percipe lachrymas*
meas. Cum verò auribus vox percipitur procul dubio
lachrymæ, voces sunt.

LII 2

III. Ina

(a) Ep. ad celsus. (b) Opusc. 15. c. 28. (c) Psal. 38. 13.

III. Intueamur B. Martinum Turonensem, cuius est dies cœlo natalis, & audiamus clarissimi illius animi dignam cœlo vocem, qui cùm esset velut in atrio foelicissimæ gloriæ, & propè manu jam prehenderet coronam illam insignium meritorum bulis, gemmisque rutilantem, quàm illi Deus apparaverat : cùm jam propè audiret ex ore sui Remuneratoris illa auspiciatissima verba : (a) *Euge, serve bone & fidelis &c. intra in gaudium Domini tui* : sui immemor, memor suorum, & intentus in divinæ gloriæ amplificationem ; Enimverò, inquit, magne mundi parens, cui hanc animam consecravi meam : si quis adhuc restat in venis cruor, si quis in corde calor, si vitales spiritus suppeditant, cupio ut omnia tibi, tuisque serviant. Dulcis Jesu amator animarum, potens omnium Domine, si adhuc populo tuo sum necessarius, non recuso laborem. O cygneum Divini hominis cantum, & melos Deo suavissimum, quod beatæ mentes symphoniâ proscutæ cœlum, & terram incredibili suavitare compleverunt. Quid deses hic torpes? quid iners langues? à te fugit, ad te mors currit : aternitas sola consistit ; trajicimus infidum mare, ob fulgorem unius gemmæ, ob viles aliquas merces, & torpemus ad claritatem Dei. Quàm molestum ab ipsis Indiis confecit iter, Regina Saba, ut semel videret Salomonem, non ut cum eo maneret, sed statim rediret ; ecce plus quàm Salomon, est hic, ad quem tendimus, omnis Salomonis gloria, ne quidem illius, quam expectamus, est umbra. Si enim Deus hunc mundum, ergastulum peccatorum, caveam belluarum, tuguriolum Adam, tam admirabilem

(a) *Matth. 25.*

Novemb.

Tessera.

901

lem fecit, ut ad ejus econtemplationem extrà se aliqui
Ethnici raperentur; vix sui prae stupore compotes:
querit domus Dei, & aula coeli? Itaque ne coram
Deo fias despicibilis, ut coram hominibus fias susci-
piendus, despice quam calcas terram, suspice, quod
speras coelum. Est enim illud nimis quàm certum,
quod velim tibi persuadeas esse certissimum.

Non coelum quaeret qui terra totus adheret.

12. DIES NOVEMB.

Nummicula, non est Christicula. *Petrus Damianus*
opuscul. 12. c. 8.

Ut Deum æsti-
mes, alia nihil
existimes.

HAusta est hæc Tessera ex Pe-
tro Damiano. Sicut, inquit,
qui Christum colit, jure Christi-
cola dicitur, ita & qui nummis per custodiam servit, non
immeritò nummicola perhibetur. Ut intelligas, quonam
animo, desiderio, & studio tendas, vide quid colas:
despice quid despicias, aut suspicis. Si tibi placet Deo
displicere propter plebem, es plebicola, si colas
Deum propter coelum, es coelicola, sicut qui colit
agrum dicitur agricola. Fateor, plebem subindè ve-
reri, sed & revereri, est prudentiæ. Sic tamen uti Cæ-
sarius, de quo scitè scribit ejus frater Gregorius Na-
zianzenus. *Erat, inquit, intus Anachoreta, coram Aulicus.*
Trade subindè faciem mundo, sed cor reserva Deo.
Tales fateor plures desiderantur quàm reperiuntur.
Plerique homines æstimant extimâ, quæ patet larvâ,
non intimâ, quæ latet virtute; cum tamen aurea fœcena
meliolem equum non reddiderint, nec tu hoc ipso

LII 3

eris